CORNELII

)REBELII

BELGÆ

TRACTATUS DUO.

DE NATURA ELEMENTORUM.

I. DE QUINTA ESSENTIA.

ccedit his de MOBILIS PERPETUI inuentione Epistola lectu dignissima.

Belgico idiomate in Latinum vertit D. PETRUS LAUREMBERGIUS *Professor in Athenæo Hamburgensi.*



GENEVAE.

Typis & sumpt. IOAN. DE TOURNES.

M. DC. XXVIII.



Ampliſſimo viro,

N. GEORGIO SCHVMACHERO S. P. D.

PETRVS LAVREMBERGIVS.

QVod cum nummis, Prudentiſſime SCHVMACHERE, *quos ſub peculiari emblemate percuſſos in vulgus ire curat princeps, idem aſſolet fieri cum libellis, quibus viri eruditionis & famæ alicuius promotum eunt emolumentum publicum rei literariæ. Vtroſque curioſè tractamus, inſpicimus, vertimus, & ſi quid memorabile præſe ferunt, legimus; quiſque etiam ad arbitrium genij ſui interpretamur. Exemplo eſſe poteſt (ne petam longiùs) opuſculum hoc Cornelij Drebelij de Elementis, quod ſollicitâ & diligenti manu quotuſquiſque non tractauit paucis retrò annis? Hoc ſolùm*

faciliori eius intellectioni obstare videbatur, quod Belgicè esset conscriptum, quam Dialectum non omnes aequè capiũt. Itaque inuentus est haud ita pridem qui eum libellum Germano habitu produxit in scenam; sed infelici prorsus & ridiculo conatu. Nam neque sententiam auctoris assequutus est, vbi neruus & ipse succus ac spiritus argumenti delitescebat, neque omnia transtulit, neque satis dilucidè aut Germanicè. Quia tamen illius vsusfructus communiter esse credebatur in rẽ Philosophica & Chemica dignitatis, cœpi ego, rogatus ab amicis, Medicis huius ciuitatis excellentibus, per vnum aut alterum bihorium interpretationi illius incumbere. Quod dum facio, inueni scriptum charactere quidem nouo, nouóque auctore dissoluisse in vulgus, sed tamen sapere natiuam generositatem antiquioris Philosophiae: Chemicae quidem duo illius postrema capita, in quibus abstrusioris sapientiae fundamenta tam apertè deteguntur, vt & agnosci & videri & palpari facilè possint ab eo, cui non prorsus frigidus obsistit circum praecordia sanguis. Peripateticae verò, quicquid reliquum

reliquum est argumenti de Elemẽtorum naturis, transmutationibus, pluuiis, tonitrubus, fulguribus, ventis. Ea enim omnia ex Aristotele huiúsque Interpretibus Græcis, Latinis, Barbaris, vel verbotenus deducere, in proclivi esse potest ei, qui istorum Heroum scripta non nimis inuisa ignotáque habet.

Ea tamen res non tam dedecori quàm gloriæ esse potest Drebelio: non tantùm quia cum priscâ, solidâ, & genuinâ Philosophiâ conspirant ea quæ proponit; sed multò magis, quia ipse ingenij sui excellentiâ meditando atque experiundo assequutus est id, quò multi multorum præceptorum & librorum adminiculis vsi, raro atque ægrè perueniunt.

Quidquid hîc meum est, Præstantissime Schumachere, illud meritò atque officiosè tibi cupio oblatum. Iam tum ab illo tempore, quo vterque publicam rem agentes solemni Academiæ actui Rostochij interessemus, in animo meo aculeum defixit excellens illa pectoris tui generositas, reliquítque gratam memoriam amicitiæ & existimationis; quam ego illæsam atque irruptam seruabo, quamdiu

me rebus mortalium interesse patietur Diuini Numinis benignitas. Salue: & hunc hominem in numero esse amicorum tuorum porrò patere. Dabam properiter Hamburgi XII. Kal. CIↃ.IↃ.C.XXI.

CORNELII DREBBELII
IN TRACTATVM SVVM

DE ELEMENTIS

PRAEFATIO.

CVm discursus hic in manus tuas peruenerit, Amice Lector, persuasum tibi habeto, cum non in mei, sed tui solius gratiam & honorem conscriptum esse. Non enim sum nescius, quàm vana & inanis sit res, Gloria mortalium. Nónne omnes vni DEO creatori originem nostram debemus, humilem illam & sine omni fastu? Quam (de humilitate loquor) postquam propriâ incuriâ & nequitiâ perdidimus, nihil mirum si tu mihi, atque ego tibi, alij videamur, quàm

quàm reuerâ sumus. Itidem quòd nec ego te, nec tu me penitissimè noscas. Cæterùm prauitate & desidiâ insuper odióque habitis, si rebus bonis & honestis exerceri cœperimus, an non etiam in simplicitate illâ sapientes futuri sumus? in humilitate & submissione illâ diuites? Et nunquid tu mihi, ego verò tibi, instar fratrum sumus? Quid inuenis penes te, quod non gratis, & saltem commodatò tibi sit indultum? aut quid esset in me, cur gloriâ memetipsum dignarer? Væ nobis si pluris quàm par est nos nostráque fecerimus, fratrémque nostrum egere illis patiamur. Heîc oculos in infinitam Dei bonitatem cõiice, quàm largâ manu is nobis præbeat omnia, etiam ampliùs quàm flagitare quis sciat. Scrutare animi tui diuitias. Regem te inuenies præstãtissimi huius à Deo creati opificij. Et annon omnes orbis opes tibi ancillantur? Etiam cùm olim has post te es relicturus, nónne protinus te beabit Devs dono longè præcellentiori, immarcessibili coronâ æternæ vitæ?

cur ergò non amas hæc, quemadmodum à DEO tu ipse amaris? Rudem & ignarum me dicis? Nónne tu longè rudior fuisti quondam? Ego egenus sum & inops rerum? Annon tu sine DEO tuo longè maiori inopia premeris? Cur igitur me nec erudis, nec iuuas, tu qui tot donis & beneficiis, à DEO affectus incedis? Odióne ea gratia te prosequar? Absit id à me. Nam quando me intuerer, te inueni in me ipso. Méne ergò maiori quàm te gloria censerem dignum? Nequaquam, frater, quia ego consimiliter me habeo vti tu. Cur igitur me efferrem magnificè? Quin potiùs humilitati studens omnis gloriæ vanitatem conabor contemnere. Estne quidquã quo gloriari verè possimus, præterquam DEO, qui tantoperè nos diligit? Sine quo annon miserrimi essemus? Qui in hoc mundo gloriæ inhiant aut honori, annon DEO illi excidunt, in quo solo omnis gloriæ plenitudo? Econtrà qui gaudent humilitate, nónne & honoris & diuitiarum participes euadunt, DEO indulgente?
Hoc

Hoc ipsum expertus sum, tum cùm humilem me gessi & demissum: Et in gloriam cedebat mihi mea miseria: Miseria in mortis aculeum: Mors in victoriam: Victoria erat immortalis mea anima: Animæ, veræ diuitiæ, Diuitiæ, inquam, DEVS Opt. Max. abs quo & per quem est, quicquid fuit, quicquid est, & ad quem omnia, ceu finem, festinant. Iam vt gratos nos præstemus, quidnam factu opus erit? Myrrhámne aut thura incendemus? Circumcidemus præputia? Capillos rademus? Suggestum nostrum adtollemus altiùs, & atris aut albis vestibus induti concionabimur? An illos, qui DEI cognitione destituuntur, ferro flammísque eradicabimus? an decantaturi DEI laudes? an denique magna scripturi librorum volumina vt æternam nobis paremus famam? Omnia, frater, splendida vanitas. Quo quæso DEVM donabimus, cuius propria sunt omnia, qui omnium possessor, qui suam per omnia gloriam famámque sparsit, etiam ampliùs quàm mens nostra capere queat? Quid ergo

facturi? Gratis certè nobis esse conuenit, & à Filio Dei discere humilitatem, legísque illud compendium, Inprimis Deum dilige, & proximum sicut te ipsum. Hæc doctrina est Apostolorum & Prophetarum: Imò DEVS per naturam eadem nos docuit, ne secunda morte quisquam interiret.

Porrò cùm animo mecum perpendi quàm miserè hominem ad pessima quæque seducat desidia, viámque illi intercludat quò minùs intelligere valeat DOCTRICEM NATVRAM: cùm itidem viderem quàm magnos sæpè labores impenderent mortales rebus vel parui, vel nullius momenti, tum profectò magnifacere & amare cœpi DOCTRICEM NATVRAM; Deúmque perfectè agnoscere ex Creaturis, quas non sine admiratione & stupore animi intuebar. Peruoluere verò cœpi Elementa, quæ mihi, quasi digito, mōstrabant Telluris naturam, cuius Spiritum crystallinum, in modum nebulæ alicuius, contemplabar, Animam verò tinctam quasi sanguine, Corpus denique eiusdem stabile atque indomitum

mitum instar crystalli. Heîc cernere erat Spiritū militātem aduersus Corpus, quod cùm tandem superasset, ex ambobus factum fuit VNVM. Corpus seruiebat Animæ, erátque illi pro stabili domicilio. Spiritus subleuabat Corpus & Animam, non secus ac cœlum crystallinum. Anima ornamentum addebat tum Spiritui, tum Corpori colore suo roseo, & ferè dicam cœlesti. Hîc interitum, resurrectionem, atque immortalitatem oculis meis notabam: Vnde non poteram nō gratus esse erga Creatorē meum, & magis magísque amare sapientissimam Naturam. Mox etiam constitui in tui gratiam, Lector, omnia hæc literis consignare, si qua, fors, inde vtilitas redundaret in tuum commodum, tuq̄ue ita ab inutilibus exercitiis subtraherêre. Spero non contemptum iri abs te hoc quicquid est, neque vitio mihi te versurum, quòd scriptionem hanc priscorum Philosophorum auctoritate non muniuerim. Nullum, vt verè dicam, nec legi, nec consului super hâc re. Saltem ea tibi

communico, quæ ipſe à Naturâ hauſi atque accepi. Tu certò crede, monſtrari tibi atque obferri id à me, quod multos latuit hactenus: quod tamen ipſum, niſi meam probè mentem intellexeris, etiam ipſe haud quaquam ſcies, quibus deſtinatum ſit vſibus. Propter imprudentem tuam petitionem ſilẽtio idipſum inuoluere cogor, ne ipſimet mihi creem periculũ. Cæterùm cùm ex corporis mei ergaſtulo emigrauerit anima, tum in apricum plenámque lucem deducẽtur omnia. Nihil noui profiteor: Id de quo diſſero ante plus quàm decem ſecula iam extitit. Scribam igitur de Elementis vulgaribus: ſiquidem hæc tibi optimè nota ſunt; vt ita ad penitiorem intellectum deuenias Reliquiarum, iſtud eſt, Elementi Telluris. Nec enim Tellus tam ſimplici conſtat naturâ, quàm Ignis, Aër, Aqua, ſed impura eſt, quaſi cæterorum excrementum. Reperimus, inquam, in Terra, terræque Creaturis reliquis, plenè ac perfectè quatuor Elementaria Corpora, quorum ope, opus noſtrum perficere cogimur.

gimur. Ignis, Aër, Aqua, famuli sunt Terræ. Ignis in Aërem agit; hic in Aquam; hæc in Terram. Omnes simul Terram certis locis humectant, quemadmodum prolixiùs pòst demonstrabimus, exorsuri, Deo bene fauente, à primo Opere Creationis, quam commonstrabimus, quoad oculis eam videre, & mente capere licet.

ANONYMI CVIVSDAM PHILALETHÆ

De medicina Tertij ordinis GEBERI versiculi.

SI Centrum Æthereum cognoueris, accipe Centrum
Ætheris, & Centri quære Superficiem.
Iunge Superficiem Centro: sic Æther ab alto
Defluet in Terram: Terra polúmque petet.
Hunc Hermetis Auem si multiplicaueris Arte,
Totius Arcani Rex eris Alchymici.

LINEA VIRIDIS VBIQVE GYRAT.



CORNELII DREBELII BELGÆ,

TRACTATVS PRIOR DE NATVRA ELEMENTORVM.

CAPVT I.

Quomodo à Deo sint omnia: quòd quatuor elementa pulcherrimo ordine sint producta, quodnam sit ignis officium.



MNIVM rerum origo ex Deo est: atque ad Deum rursus, ceu finem, tendunt omnia. Finis enim cuiusque idem est ac eiusdem principium, vti testatur quotidiana experientia. Quod è Terra pullulat, ad terrã reuertitur, quod ex Aqua, ad aquam. Quicquid est, id initiò perfectissimum fuit apud Deum, atque olim itidem ad eandem perfectionem

reuer-

reuertetur, tum cùm elementa colliquescent, & pristinum induẽt splendorem coràm Deo. Nihil ibi perditum ibitur præter iniustitiam. Deus enim exactâ tẽporis plenitudine, quãdo illi complacuit, cunctarum rerum Naturas Verbo produxit. Initiò quidem, id quod erat subtilissimum, secreuit à cætera massa, factúmque est Ignis elementum, occupans supremam mundi sedem, replens infinitum istud alioquin vacuum futurum spatium: circumdans Dei magnifica opera. Scilicet quicquid leuissimum est, id sursum ascendit. Iam Deus iterum ab ista massa separans id quod leuius, quódque subtilius, effecit elementum Aëris, cuius locus proximè sub leuissimo igni. Consimili ratione & à reliquiis seiunxit partem subtiliorem humidiorémque, atq; efformauit cum Tellure Aquam. Aqua verò integram terræ faciẽ obtegebat haud secus ac ignis aërem, aër aquam. Cæterùm omnipotẽs Dei virtus, Terrã aquis immersam extulit in altum, nósque in eadem collocauit, vt eò

perfectiùs contemplaremur splendorem æuiternæ suæ lucis, ac se amaremus, quippe qui perfectissimi eramus creati. Sic quadripartitò diuisit Deus opera sua in Ignem, Aërem, Aquam, Terram. Vnumquodque horum suis virtutibus est insignitum, pro modulo & ratione propriæ subtilitatis. Ignis reliqua antecellit, vim obtinens excellentiorem, qua cæteris splendorem impertiri potest suo splendori æmulum. Nihil est cui ille vitam non largiatur. Sine illo mortua sunt pleraque, vt quotidie, maximè tamen hyeme, experimur. Intuere hoc Elementum, quàm operosè illustret Aërem! húncque ad similem claritatem perducat, omnes ex eo dispellens tenebras. Ita testatum facit quanta antè obscuritate oppressus fuerit aër. Insuper ab omni humore excrementitio fumísque terrenis eundem expurgat. Immunem quoque reddit à crassitie, facítque vt subtilitate solidissima quæque possit penetrare. Vt paucis dicam, similem sibi vndiquaque reddit aërem Ignis, vt etiam vix vllum inter

vtraque

vtraque discrimen deprehendas. Exemplo & argumento est Ignis noster Culinaris, qui ligno aut cespitibus siccis enutritur, magna vi colligit, & quasi sugendo attrahit ad se aërem: eum nitidum, purum, lucentem reddit, sibique assimilat penitus: Quod ipsum tam auidè támque impensè facit, vt si fortè intercludatur, subtracto & intercepto aëre (id est quoties suffocari eum contingit) mox intermoriatur ac tenues euanescat in auras: quod profectò notatu est dignissimũ. Ostendit enim quàm studiosè Dei creaturæ suas exsequantur functiones; quàm sedulò operentur, quoad quod agant habent, quoque plus inuenerint, eò agant meliùs, si nihil illis fuerit impedimento: vt hîc etiam nos probè nostro fũgamur officio, Deúmque Creatorem ac Dei dona in nobis sine inuidia, sinéque impedimento permittamus operari, vt ex vna luce promoueamur in aliam, puriores, illustrioresque redditi diuinæ lucis radiis.

Caput II.

Quomodo ignis agat in aquam & terram: quomodo contraria vniantur: quòd secretio Elementorum studiosè sit obseruanda: Ignem esse vitam omnium.

CÆterùm haud aliter atque in aërem agit Ignis, ita quoque in Aquam & Terram, vti in cespitibus ex succis ac lignis aridis cernimus; quæ, non minùs quàm aër, illustrata & splendida euadunt. Nónne vides quàm atri sint carbones extra ignem? quàm clari sint, quàm lucentes in igne, non minùs quàm ignis ipse. Tantum illis splendorem ignis impertit, vt etiam in formam penitus diversam transformentur: Tum reuertuntur ad pristinam suam naturam. Etiam cinis ipse non renuit tãdem mutari in substantiam vitro non dissimilem, ac postremo inuisibilem. Fortassis dixeris fieri non posse vt aqua ex eadem materia oriunda sit, qua ignis: siquidem necessum, vt quæ ita se habent, illa aliquam acceperint similitudinẽ cum

re ex

re ex qua ſunt genita, quod de Igni nemo dixerit. Nullo enim pacto aqua pura & ſplendida reddi poteſt beneficio ignis. Reſpondeo: Duo contraria nunquam vniri aut cōſpirare poſſe ſine interuentu medij alicujus. Enimuerò poſtquā Creator partē ſubtiliorem, ſplēdidiorē, ſicciorē, calidiorē ſecreuiſſet à prima creationis maſſa (quā Chaos dicimus) jam mox contrarium illius itidem emerſit, ſcilicet Ens craſſius, obſcurius, humidius, frigidius, quod fuit Aquæ & Terrę elementum. Aquæ verò iſta humiditas temperatur aëris terræque ſiccitate: Itidem craſſitudo & ſiccitas terræ, ſubtilitate aëris, humiditate aquæ. Hinc vides nihil poſſe vniri ſine medij alicujus beneficio. Neque igitur aqua cum igne componi poterit, deſtituta aëris ſubtilitate, terræque ſiccitate, quæ quidem mixtio in aqua vitæ aut oleo elucet, ſicque igni copulatur. O profunda Sapientia! quàm abſcōdita ſunt opera tua! quàm excellentes tuæ creaturæ! Quis tibi non adtribueret debitam gloriam, cui ſaltem aliqua ſcin-

tillula elucescit τῆς γνώσεως τῆς φύσεως! Quis non admiretur Creaturas, quas tas admirandas intuetur? Quî fieri potest, ô Homo, vt miracula Dei, sine admiratione, contemplere? Cur videns occœcaris? Cur opera Dei non peruestigas non laudas quoties vides primæuam illam Substantiam, primam rerum omnium Materiam, in qua Ignis, Aër, Aqua, Terra resplendent consimili perfectione, quâ principio creata fuêre apud Deum? Obserua, amabo, secretionem quatuor Elementorum. Ignis spiritus sursum euolat, secum auferens aërem, aquam, terram: quæ, frigore aëris condensata, sui similia petunt, ea, inquam, ex quibus fuerunt producta. Olei humor, quæ aqua est, in nebulam transmutatur; rursus decidit guttatim. Terra instar fumi ascendit, deciditque nigricans. Aër à semetipso excipitur. Quis huius miraculi rationem edisserens laudum diuinarum poterit obliuisci? Sic cōstat, lector amice, vnum Ignem vitam esse omnium, omnia illustrare ac deducere ad eū splendorem, quem ab ini-

ab initio illi concesserat Deus, seu aër sit, seu aqua, seu terra, non tamen id absque medio. Aquæ enim crassitiem aëris subtilitate adtemperari necessum est; ejusdémque humiditatem siccitate telluris: Tum denique paratam habebis Materiam, quę lucida, Vivida que reddi potest, beneficio ignis. Sed plura de his dici possent, quę breuitatis studio prætermittenda, vt eò citiùs ad rem propositam deducamur.

Caput III.

Oeconomia rerum sublunarium quomodo perficiatur per mutuam actionem & paßionem quatuor Elementorum.

Age ergò, Lector, inuestigemus jam Aëris virtutes, iuxtáque & cæterorum elementorum. Veluti tria elementa sine Igne mortua sunt, sic & Ignis sine tribus cæteris. Hinc Dei sapientiam admirari disce, quæ nihil frustraneum fecit. Namque vt Ignis vita ipsa est: viuit verò in aëre, haud secus in igne viuit aër, aqua in tellure,

tellus in aquâ. Ignis aërem perpurgat, aër aquam, aqua terram: vnumquodque sibi, suóque splendori, adsimilat alterum. Nonne vides æstiuo tempore vt aqua à sole in aërem attrahatur, pérque aërem clarior fiat & subtilior: ita vt inter aquam & aërem vel exiguum vel nullum senciatur discrimē? Exemplo est aqua Solis radiis exposita, quæ sensim euanescit attracta à Sole & subtilior reddita; modò frigus eandem non constipet. Calor enim ignis, quemadmodum omnia subtilia & pura reddit, ita ex aduerso frigus igni contrarium omnia condensat, constringit, aquámque quasi comprimit, resistens calori ignis, & aëris subtilitati. Hæc causa est propter quam aqua rursus in guttas concreta decidit, quæ guttæ, à tellure absorptæ, nutrimentum fiunt rerum ex elementis ortarum; adeóque penetrant ad radicem vsque seminis: verùm, virtute & efficacia Solis, denuò emergentes ad extremas plantarum particulas, destituunt spiritus aut nutritionem telluris, quę ejusdem Solis calore trāsmutari

tari consueuit in substantiam cujusq; rei propriam. Hoc pacto aluntur augentúrque continuâ aquæ attractione. quo ipso nobis apertè monstratur & ordo aptissimus, & sapientia nostri Creatoris. Quòd si frigus fuerit vehementius, mox coagulatur aqua, atque terræ formam induit. Iam sicuti frigus, proprium terræ opus, aquam cõdensat, suam illi & crassitiem imprimens & duritiem: Consimiliter aër ignem condensat, si illius frigiditas hujus calorem superarit. Ignis in aërem mutatur, aër in aquam, aqua in terram, vt ante fuit demonstratum. Res digna admiratione, quæque firmissimè demonstrat id, quod antè monuimus de separatione primæ Materiæ. Namque vt ex primitùs creatâ Massâ Deus secreuit Elementa: ita eadem beneficio nostri ignis (qui tanquam vmbra primi entis) reducuntur ad pristinam suam essentiam, id quod lampas accensa, imò omne vstile corpus ad oculum demonstrat. Nam quamprimùm accensum fuerit oleum, mox flammæ virtute id ita illustratur, vt

inter oleum flammámque nulla maneat differentia. Quin oleum fit flamma, & flamma oleum: Oleumq; flammam permeat; non tamen multò pòst à frigore (ignis contrario) in pristinam elementi formam restituitur, vt non ita pridem dixi. Quapropter qui pensiculatiùs flammæ naturam ruminabit, is non tantùm animaduertet reductionem & restitutionem Elementorum in pristinam integritatem, verùm etiam secretionem eorundem ex materiâ primâ: quod ipsum omnem superat admirationem, notatúque est dignissimum. Sed de his aliàs.

Capvt IV.

Quomodo generentur Venti & Pluuiæ. Quæ res illustratur tribus exemplis.

SI illa quæ superiùs narrauimus, probè perpenderis, probéque intellexeris, fieri nequit, quin perfectè noris causam Ventorum, Tonitruum, Fulgurũ. Quoties radij Solis, sine obstaculis, aërem, aquámque penetrant, atque excalfaciunt, aër in ignis naturam

ram conuertitur, aqua in aërem, vnde emergit perpetua quædam commotio, expandens sese vndique, circumdans vniuersam terræ faciem, atque humectans. Cæterùm aqua hac ratione subtilis facta, cùm, aërem calidiusculum penetrans, ad frigidiorem & crassiorem pertingit, iterum comprimitur, condensatur, imminuitur, reditque ad antiquum suum ingenium, id est, aquæ naturam, deorsum guttatim ruens: quem lapsum necessariò tranquillitas sequitur, sicuti pluuiarum tempore experimur: nisi fortè vapor ac aquæ continuus ille adscensus vlterius institerit majori copia & impetu, quàm aër frigidus potest condensare. Vt calor tum aërem, tum aquam, subtiliora, rariora, majora reddit: ita frigus caloris contrarium eadem crassiora, densiora, minora: hac lege attrahens rursus ventos, qui caloris virtute euanuerant. Id oculis & manu palpabimus, si Cornutæ vacuæ ore frigidæ aquæ imposito, ventrem igni superposueris, actutum videbis, vbi primulùm calfactum fuerit vitri

corpus, egressuros ore illius, non sine strepitu, flatus qui in bullas concitabunt aquam, idq; eò impensiùs, quò aër incaluerit magis. Remoto ab igni vitro, cùm aër frigescet, mox in se coibit crassiórque fiet, & proinde minor, vitrúmque aqua opplebitur illa sui parte, quam antea aër calfactus & expansus occupauerat. Si sine rupturæ periculo vitrum summè calfacere posses, parum aberit, quin plenum futurum sit aqua dum refrigescit. Hanc calfactionem melius quidem ferret Cornuta figlina, sed in vitrea id quod dixi, perfectius visu notari potest. Porrò quantò aqua aëre grauior, crassiórque est, tantò amplius caloris vi diffunditur, magísque grandescit, imò millecuplò ampliùs. Exemplum huius rei etiam pomum coctum suppeditat, ex quo flatus erumpentes audimus, nihil tamen (si sensus consulas) diminuto humore intus concluso. Itidem sphæra ænea intus caua, cuius aliquod latus foramen habeat. Si hæc incalescat validè, pérque foramen aquæ gutta instilletur, statim ea au-

gebitur,

gebitur, & instar venti efflabit ex sphæra.

Capvt V.

Qualis sit aëris status sole occidente: cur copiosæ vel raræ sint pluuiæ: quomodo liceat naturam ventorum assequi.

CVm ingruente vespera aquæ attractio, & (vt sic dicam) dissolutio imminuitur rursus, sole nimirum paulatim occidēte, vt plurimùm placidum & sudum fit cœlum; quanquam vix vnquam hæc cesset attractio, nisi fortè aquâ gelu constrictâ: quemadmodum videmus, cùm vas aquâ oppletum in cœnaculo adseruatur. Post aliquot dies diminutam inueniemus aquæ quantitatem, idque eò quòd cœnaculi aër nonnihil calidior, quàm aqua. Ast verò quòd quādoque sub vesperam nulla à nobis deprehendatur aëris tranquillitas, causa est, quia longius remoti sumus ab illis locis, in quibus aër atque aqua resoluuntur. Ventus enim seu aër agitatus heîc insequitur continuò, cujus rei

documentum capere licet ex ſono in diſſitis locis facto, quem longo pòſt tempore ſolummodò percipimus, quàm reuera factus fuit. Hac de cauſa, quantumuis ceſſet valida illa commotio à ſole occaſo, nos tamen haudquaquam id perſentiſcimus tam ſubitò, ob inſequentem continuò aëris commotionem, ideóque flante vno vento majorem ſentimus tranquillitatem, quàm altero, pro locorum & regionum diuerſitate. Quòd ſi propè abſimus à prædictis locis, non poſſumus non frui aëre tranquillo & placido, veluti jam eſt demonſtratum. Euenit quandoque quòd ſtatis anni temporibus copioſę & frequentes decidant pluuiæ; menſibus ſcilicet Martio, Aprili, Majo, Septembri, Octobri, Nouembri. Ejus rei ratio ex antepoſitis fundamentis facilè intelligitur. Tum enim in medio verſamur caloris & frigoris. Neque poſſunt vagabundæ nubes attenuari præ defectu caloris; ſed commodiſſimè vertuntur in guttulas, móxque decidunt. Atque hinc etiã illud eſt, quòd frigidis hiſce in oris,

in oris, media intempeſtáque hyeme, pluuiarum crebris inundationibus haud affligamur tantopere. Quippe ſublatæ nubes protenus circumuentæ aëre frigido, decidunt priùs quàm ad mediam perueniant regionem aëris: niſi fortè tam copioſæ, crebræq; fuerint exhalationes, vt multitudine, cõtinuóque & inceſſante aſcenſu, accedente inſuper auſtri flatu, infringant, vincántque demum infimi aëris frigus. Non raró quoque valido vento feruntur alió, & cito volatu loca hæc prætereunt, tandémque vi frigoris concreſcunt in niuem. Hæc fundamina ex ipſis naturæ penetralibus petita, ſi probè rumines & conſideres, lector quiſquis es, non poteris non perfectè & exactè intelligere, quidquid tibi de ventorum natura cognoſcendum obferetur; multò etiam meliùs, quàm ego verbis aut literis queam explicare. Hæc non alio fine prolixiùs à me ſunt demõſtrata, quàm vt fundamenta propoſitæ doctrinæ intelligas, eáque quæ vberioris cognitionis gratia jam jam ſum adjuncturus.

CAPVT VI.

Quomodo media aëris regio promoneat generationem ventorum: & quanta sit ventorum varietas.

HIc jam quæret aliquis, qui ergò fiat, quòd æstiuo cœlo sæpiuscu-lè ventum è nubibus prosilientem sentiamus, non item ex locis illis, in quibus facta fuit aquæ resolutæ atte-nuatio & attractio? Annon hoc ipsum pugnet cum iis quæ paulò antè edo-cta? Tantum abest, vt vlla hîc spectetur contrarietas, vt potius eô ipsô ve-ritas traditæ doctrinæ impendiò ma-gis elucescat. Enimuerò postquam sol attenuatam, & in vapores conuersam aquam sustulit in altum mediúmque vsq; aërem, tum ipsi illi vapores non-nihil addēsati frigore, deorsum ruunt, instar crassioris nebulæ, donicum e-tiam contingant aërem infimum, ca-lore perfusum vndique. Is aër calidus iterum resoluit attenuátque vapores, à quibus ipse vicissim pressus, atque a-gitatus, ventorum causam submini-strat. Haud aliter egelidus crassúsque aër

aër ſuperficiem terræ proximè circumſtans ab irruentibus denſis frigidíſque nebulis & ipſe craſſeſcit; mox aliò delatus, extenditur iterum, fitque ſubtilior, vndè ventorum adaugetur materia, & quaquauorſum expanditur; ſæpè etiam nubes aduerſis frontibus quaſi concurrunt. Namque frigidus denſúſque aër ſurſum pellit calidiorem, vſque ad loca mediæ regionis frigidæ; vbi is craſſeſcens, à vicinarum nubium frigore, denuò petit loca infera; denuóq; calore horum reſoluitur, attenuatur, & à globi terreſtris ſuperficie auolat. Hac facie veniunt abeúntque & variè vagantur venti, ventilantes tellurem, & frigefacientes inferiorem hanc mundi cœloniam, ex ſapientiſſimo & optimo Dei decreto. Vides quomodo ſentiamus vẽtorum flatum ex illa prodire aëris parte, in qua vehuntur denſæ obſcuræque nubes. Ita ęſtate media, ſicubi ſurgentem obſeruamus nebulam craſſiuſculam propè Noto lybicum, haud multò poſt flaturum ſuſpicamur & experimur Noto-lybicum; mox Zephyrum,

aut Borrholybicum; atque ita pro nebularum ascendentium diuersa origine, & solo natali, diuersos expectare habemus ventos. Vides prætereà etiã causam cur non rarò tam vehementes spirent venti? cur in Hollandia, vicinisque prouinciis Subsolanus, aut Notoapeliotes tam pertinaces, diuturnásque pluuias secum ferant? cur Zephyrus aut Borrholybicus tam varius sit & mutabilis: interdum vehementissimo impetu: interdum leues effundens pluuias: mox tranquillus iterum: mox resumens pristinam vehementiam? Cur in regionum soli propinquarum locis maritimis, antemeridiano diurnóque tempore ventus è mari spiret? vespere noctúque è mediterraneis? Horum omnium effectuum causas è natura petitas exponere mihi in procliui esset, nisi scirem, eum, qui hactenus proposita probè intelligit, sine omni molestia suo Marte ad perfectam eorundem cognitionem peruenturum. Nunc porrò à ventis imus ad tonitrua & fulgura.

CA-

CAPVT VII.
Quomodo generentur Tonitrua & Fulgura.

QVando Tonitrua & Fulgura eueniunt; aër longè est siccissimus, calidissimus: aqua verò virtute radiorum solarium rarefacta facessit in naturam aëris, & in sublime acta, procul à terræ globo condensatur, concrescitque frigore, & in angustum coacta iterum assumit indolem pristinã: tum porrò specie nebulæ deorsum vorsum properans, cispellitur ab aëre frigido versus aërem calidum, siccum subtilémque, qui ocyus peruadens crassam illam nubem, rarefacit, atque ad summam perducit subtilitatem, reducitque ad naturam aëris. Itaque dum corpus illud momento extenditur, & vel sexcentuplo fit majus, postulátque locum ampliorem, necessariò euenit horrenda quædam agitatio, commotio, quâ exhalatio accensa cum fragore & strepitu emergit, donec tandem adipiscatur spaciũ quantitati suæ æquale: tum demum cessat

omnis violẽtia. Exemplũ habemus in nitro, quod Volcani violentia disruptũ, dissolutumq;, induit naturã aëris. Idẽ experieris, si vel linteo benè madefacto, vel manu frigidam asperseris liquido plumbo, aut candenti ferro; ea aqua caloris vehemẽtia attenuata, versáq; in aerẽ, sonum edit tonitribus haud dissimilem. Neq; aliud est, cùm crebro ictu ex silice & chalybe elicimus ignẽ, disrupta dura silicis substantia, causa scilicet scintillãtis splendoris. Cæterùm quãdo superstites nubes præteruehũtur loca ea, quæ à tonitru, aut nubibus resolutis, sunt frigefacta, iterúmq; attingunt aërem calidũ, tum hic illas iterum permeat, & quaquauorsum peruadit (ascendere quippe semper nititur, veluti & ignis) denique dissoluit, attenuat, transmutátque in substantiam sibi similem, id est aërem, quemadmodum jamjam docuimus. Hinc tam diuersa audiuntur fulmina, per omnes eas aëris partes, quæ olim à Solis radiis insigniter calfactæ, postmodum iterum refrixerunt.

Capvt. VIII.

Recapitulatio doctrinæ de generatione ventorum, pluuiarum & tonitruorum: & insignis obseruatio de nutritione vegetabilium, vt & de prima materiæ inuestigatione.

Ex his omnibus luce meridiana clariùs cernimus, quàm paternè Naturæ Auctor per Naturam nos erudiat, incitétque agnitionem atque amorem sapientiæ, bonitatis, atque omnipotentiæ suæ. Intuemini, stultis, optimum atque admirabilẽ ordinem, qui in omnibus rebus, si accuratè dispiciamus, elucet. Cogitate quàm mirifica ratione (veluti superiùs audiuistis) crassum illud Aquæ corpus à Sole inuisibiliter sublatum in altum, mutetur in latè diffusum aërem; qua origine nascitur mobilium ventorũ numerosa propago. Sic rarefacta eadem aqua huc illuc agitatur, eoque delata, quò ob maris, stagnorum & fluminũ defectum nulli transmittuntur vapores, tum præterea feruore solis sursum acta ad frigidam aëris prouinciã

procul à terra & huius calore, quàm mirificè iterum condensatur, cogitúrque in nubem (quod etiam à nocturno fit frigore) quo nomine, ingruente nocte, vt plurimum trãquillus redditur aër, nebulosus tamen & crassus: quæ nebulæ in guttulas concrescunt postmodùm. Ita sitiens terra beneficio roris inebriatur; inque eo, quasi putrescens, liquescit, cum porro duo hæc coniuncta totam plantæ substantiam peruadunt; sed quia Solis virtute liquidus aquæ humor ad extremitates vsque plantarum attrahitur, isque sua natura subtilior & leuior quàm terrestris portio nutritioni destinata, hinc fit quòd liquor attenuatus facessit in aërem relicto plantis terreo nutrimento, quod eæ ingenita sua potestate & vita conuertũt in substantiam sibi similem. Atque hæc est vna alimonia omnium è terra nascentium, omniúmque viuentiũ corporum; Hæc causa quòd omnia post putrefactionem ad terram reuertãtur, experimento quidem indubio, sed quod vix millesimus quisque vel intelligit,

telligit, vel rectè perpendit. Si hæc ſua bona noſſent Hermetici noſtri, non pol tam anxio conatu, tantáque ſollicitudine, anquirerent primam ſui operis materiam. Eæ verò ipſæ quas dixi nebulæ, ſi ſurſum latæ inciderint in loca apprimè calida, tum demum tonitrua & fulgura producunt celeri illa & quaſi momentanea ſubſtantiæ dilatatione; ſæpè etiam ventos. Quòd ſi mediocris ſolùm fuerit aëris temperies, & paulò quàm nebulæ calidior, nihil, præter modeſtas pluuias, ventóſque gignitur, quemadmodum hactenus prolixè fuit explicatum.

Capvt. IX.

Recapitulatio doctrinæ de habitudine quatuor elementorum.

Videor hucuſque ſatis & ſuper inquiſiuiſſe in genuinos vſus & officia quatuor Elementorum, Ignis, Aëris, Aquæ & Terræ; non alio conſilio quàm vt quiſque probè intelligat, quid ſit vnumquodque illorum, quanta & quàm admirabilis ſit Natu-

ræ efficacia. Nunc Omnium facimus huiuſmodi Compendium. Ignis nihil eſt aliud, quàm ſubtilis aër: Aër eſt ſubtilis aqua: Aqua eſt ſubtilis terra: Terra craſſus ignis, quemadmodũ euidenter demonſtrant ſuperiùs adducta exempla. Enimuerò Terra, ſeu vi ignis, ſeu naturæ ingenita efficacia, reſoluta, tranſmutatur in aquam, fitque Sal, & quædam terræ virtus, cuius rei perfectum argumentum præbet calcinatio: Sal ipſum igni diſſolutum mutatur in aquam, veluti videre eſt ex deſtillatione aquarum fortium: Aqua porrò vi ignis ſoluta fit aër, Aër fit ignis, vt iam ante dictum. Hoc pacto craſſa obſcuráque Terra conuertitur in ſubtiliſſimum, pellucidiſſimum, ſplendidiſſimum Ignem, qui non ſolùm penetrat, illuſtrátque omnia, ſed & facit, vt ipſa penetrandi, illuſtrandíque poteſtatem nanciſcantur.

Capvt X.

Quomodo omnia ex elementis concreta ſint.

sint tractanda, vt separetur purum ab impuro.

Hinc illud deducimus, ad eundem modum, præter elementa, etiã Omnia quæ ex elemẽtis concreta sunt clarificari oportere, tam Mineralia & Animalia, quàm Vegetabilia. Si quod horũ animus est ad claritatem & splẽdorem deducere, non licet id alia, quàm præmonstrata ratione expedire. Terræ corpus clarificandum est per ignem, reddendúmque simile ipsi Aquæ, sicque fiet quasi Sal, qui sal postmodum destillando potest clarificari, & in Aquam conuerti, prorsus, ad similitudinem aëris, omni impuritate destitutam, pellucidam instar crystalli, diaphanam instar aëris, splendentem instar ignis. Hæc nobis sufficiant: neque quæramus anxiè nobiliorem aut exactiorem perfectionem; quippe non licet nobis asseruare Spiritus inuisibiles, nisi sub visibili specie; quin protinus eos perdamus. Simul ac in clarissimam aquam facta est transmutatio, tum proxima est conuersio in aërem, accedente scilicet destillatio-

ne, & mox superueniente atque condensante frigore, iterum in aquam, vel aspectu ipso, corpoream. Verùm si idem ad igneam claritatem promouere studuerimus, non poterit frigore nisi in aërem condensari, quem, quo pacto tractabis? quomodo eo vtêris? vtpote qui supremus est rerum omnium visibilium, adque nostrum opus prorsus ineptus. Satis igitur nobis esto, si ad Aërem vsque pertingamus clarificando, qui frigore concrescens in Aquam, non gestit perfici vlterius. Quicquid enim ad extremam educitur perfectionem, id nec generat, nec multiplicat. Cæterùm postquam iam Terram per destillationem permutauimus in limpidissimã, splendidissimam, clarissimam Aquam, aut Oleum, aut quomodocunque nominare volueris, tum porrò hæc seminatur Spermate nostri Corporis, quod inibi computrescit tandémque acquirit splendorem ac perfectioné similem. Sic itaque facimus ex Aqua terram, virtute Ignis, & progressi, sequutíque ductum naturæ, Terram cineri-

cineritiam dealbamus, nitidámque & lucidam reddimus quasi aërem: sed tamē specie aspectabili: Vlterius eandem ab Aëris forma promouemus ad perfectionē Ignis, curamúsque vt fiat prædita splendore, nitore, puritate & rubedine, qualis rubino inesse solet. Ita superabit excellentia & perfectione omnes res corporeas. At verò si purissimum hunc Ignem ad pleniorē perfectionis gradum deducere studueris, necessum erit, vt is reuertatur ad pristinā naturam, beneficio Aquæ iam laudatæ, quò fieri possit generatio; quā procurabis, ex Spermate benè mundato, perfectissimo (in calore scilicet & frigore, cuius vis ignea foris, humida intus) in ipsa illa aqua, cuius humecta vis foris, sicca intus; opitulante natura, & seipsam magis magísque perficiente. Ea repetitione & labore sæpiùs iterato, materia nostra tantam adipiscitur puritatem, tam penetrantem subtilitatém, vt nec dici, nec cogitari possit; vt etiam quæuis vasa transuolet, nec vlla ratione seruari, vt non perdatur, possit.

CAPVT XI.

Occurritur dubio: differitur de modo clarificationis artificialis: commendatur doctrina de natura & viribus Elementorum.

DVbitabit hîc & quæret ex me nõ nemo, quî fieri possit, vt tam exquisita & suspicienda perfectione per artem donari queat vllũ corpus? numnon vnumquódque gignat sui simile? rarissimè aliquantò nobilius, vt plurimùm etiam deterius? ecquid ne in nostra potestate sit, beneficio Ignis pleniùs perficere Corpus, quàm Deus ipse velit, aut possit per clarissimum splendorem Solis? Responsum volumus, multò aliam esse rationem nostræ clarificationis. Nos enim capimus Corpora, quæ iam antè Deus & Natura perfecerunt, eáque porrò, nostra aqua & igni, clarificamus; reddimus crystallo æmula; liberamus à sordibus & inquinamentis, quæ iis natura reliquerat, breuiter, reducimus in speciem Aquæ, in cuius intimis penetralibus delitescit potestas Terræ, in quam

quam, vt dixi, indimus postmodum Semen nostri Corporis, idque per eã aquam mundamus, alterumque alteri quoad claritatem, simile efficimus, quod ipsum per Naturam solam, absque arte non euenit. Omnia verò, quam ab initio acceperant à Deo speciem, eam sibi semper retinent. Et semen quum in aquam proiicitur, non accipit à terra suam claritatem, sed Terra à Semine clarificatur, coquitúrque vitali virtute, qua semen pollet. Terra enim semine multò impurior. Seminis essentialis perfectio eadem semper perseuerat, immundámque & crassam terram tingit, id est in suam indolem & naturam conuertit.

Hæc sunt, amice lector & frater, quæ de natura commentari & tecum communicare constitueram, quorum omnium meæ ipsius manus periculũ & experimenta fecerunt. Volui verò elementorum indolem & affectiones præcipuè describere, quia nihil reperi, quod me apertiori & tutiori semita deduceret ad cognitionem Dei creatoris. Elementa sunt habitaculum

vniuersæ Naturæ, absque quibus Naturam nemo cognoscet. In iis & ex iis nutrimur & sustentamur. Ea si ignorauerimus, ignorare nos oportet & Nosmetipsos, & totam Naturam. Qui elementa nouisse didicit, is Deũ didicit, & se ipsum & Naturã, absque qua nemo intelligit, nemo verè amat, Creatoris omnipotentiam, sapientiã, bonitatem. Nihil DEVM esse tam euidenter testatur atque Natura. Nos verò ad imaginem Dei cõditi sumus, vt harum rerum adminiculo agnosceremus diuinas dotes, quas nobis tam largiter & prolixè indulsit Creator: simúlque adipisceremur veram illarum cognitionem, quantum nobis, inter mortales degentibus, ex vsu est, partim Dei, partim nostrûm ipsorum gratia; Breuiter, vt doctricem Naturam solida cognitione, sincero amore, prompto seruitio prosequeremur. Si tot támque præposteris disputationibus sepositis, quæ quisquis non intelligit, ea nec laudaret, nec culparet, mehercles, longè maiori tranquillitate viueretur hoc quodcúnque est æui,

non

non ſine diuinæ ſapientiæ ſuauiſſimo guſtu. Quî enim agnoſceremus, quę nec oculis vſurpamus, nec tactu aut guſtu deprehendimus? Quî amaremus, quæ incognita ſunt penitus? Annon ſummæ neceſſitatis videtur, frater, Elementorum genium ſcrutari, vt Naturam diſcamus, vt Deum diligamus, cui ſoli debetur honos & gloria, in omnem æternitatem. Hæc igitur boni conſule, & ſedulò peruestiga ſecreta Naturæ. Ipſa teſtis erit, vera hæc eſſe quæ ſcripſi: ipſa te docebit & erudiet de iis, quæ ſequutura ſunt, maximis miraculis, vt liquido, & quaſi in ſpeculo, videas Naturam in Elementis; eáque Omnia in gloriam noſtri Seruatoris.



CORNELII DREBELII BELGÆ.

Tractatus Posterior

DE QVINTA ESSENTIA,

Eius viribus, vſu, & quomodo ea ex Mineralibus, Metallis, Vegetabilibus, Animalibúſque extrahi poſſit.

CAPVT I.

Definitur & commendatur quinta eſſentia: inſtituitur comparatio inter quintas rerum eſſentias.



VINTA Eſſentia eſt res æterna, immutabilis, incombuſtibilis, vt cœlum inuincibile, perfecta in omnibus elementis: exuberánsque (ferè ſuprà fidem) calore, ſiccitate, frigore

gore, humiditate. Quando enim calore opus est, eum tribuit, nec (quod maximè mirum) frigiditatem ipsius animaduertimus; sicuti nec calorem, si refrigerium desiderantibus adhibeatur. Cæterùm vbi humiditas deficit, eam ad satietatem largitur, siccitas tamen eius nulla apparet. Atque ita porro se res habet in reliquis elementorum qualitatibus. Propterea quoque quarumlibet infirmitatum præsens remedium est.

Omnes verò quintę essentiæ æquiualent, si benè præparatæ: nec refert ex qua materia. Fortè iam dices, si in omnibus quintis essentiis isodynamia est, ad quid prisci eam, quæ ex auro, cæteris prætulêre? Respondeo, nihil quidem esse in terrarum orbe, in quo tam pura, quàm in auro, sit quinta essentia. Aurum enim perfectum est, caret combustibilitate, & parum, aut nihil secum habet: quamobrem cùm tantummodo eius Q. E. à corpore, sine permansione corrosiuorum, separatur, spiritúque vini rectificatur, absolutissima est, maximéque penetra-

bilis. Aliæ autem Q. E. corporibus liberatæ, adhuc multa cōbustibilitate & cōfartis obrutę sunt fecibus, internis externis:quę nō nisi summa difcultate diffluunt: quandoquidem, si ex imperfectis & cōbustibilibus perfectissimam Q. Essentiam extrahere conamur, necesse est primùm defecare, & oleum combustibile submouere, quantum fieri potest; deinde figere; postea calcinatione & solutione omnem combustibilitatem tollere, & vtrásque feces; quod multum temporis iuxtà atque negotij efflagitat, vt notum iis, qui experti: Cúmque iam sic mundauimus, fixauimus, & in colorem adduximus, Materia auro, eiusque Q. Essentiæ similis est.

CAPVT. II.

Causa ostenditur, cur quinta essentia tātis viribus polleat: quia videl. quatuor elementa in ipsa sunt anatizata. Vnio quatuor elementorum in Q. E. est mirabile secretum.

IAm verò quæras, quî possibile Q. Essentiam hoc tali vigore pręditam, qualem

qualem adſcribis? Docebo: ſi eam immittas in ſpiritũ vini, cui omne phlegma adẽptum, ita vt ſal (facilè alioqui in humore ſolubile) in eo non ſoluatur, ſtatim mixturam faciet; ídque ob exuudantem in ipſa humiditatem. Licet autem aſpectu ſicca ſit, imo ſale magis, nulla tamen hîc ſiccitas apparet. Quod mirum, éo magis, quòd etiam ſpiritum coagulat in cryſtallinũ lapidem, feruorémq; ei adimit, licet is, nec frigore, nec alia quapiã re concreſcat. Vnde duo reſultant aduerſa, alterum eſt copioſus ejus, cùm ſoluitur, humor: alterum frigida, cùm coagulatur, ſiccitas. Scatens verò calor illius eluceſcit, ſi in aqua communi vſque ad ſatietatem ſoluatur: eo enim caſu, cùm vel maximè gelat, etiamſi frigidiſſimo loco exponatur, non obrigeſcet vnda, quin neque corrumpetur, neque malè olebit in perpetuum. Ex quibus manifeſtiſſimè quatuor elementorum demonſtratur perfectio. Neque ſolùm hoc fit in vino & aqua, ſed in omnibus imperfectis, quibus hoc tribuit, quod deſiderant. Nam ſi

Q. Essentiæ, quantum satis est, in salsugine soluatur, recedet hujus siccitas, ita vt absq; periculo quilibet eam bibat. Atq; adeò, si ipsam cum venenosissima aqua commisceas, momento euanescet virus, in tantum, vt securè cuiquam propinetur. Quid si cum aqua forti? adhuc idem dicendum est. Sed tum defixanda est, ita vt cum ea distilletur. Nam alioqui aqua fortis calore stomachi præuolaret in cerebrum, & antequam quinta essentia eò ductu naturę perueniret, penetrando, corrodendóque hominem interficeret. Sed quando volatilis est, vnà ascédit, defendens cerebrum, omnibúsq; aquis venenosis id tribuens, quod appetunt: vel quoque aqua fortis cũ illa fixari potest; atque hac demum proprietate acquisita perambulat totum corpus sine læsione, quippe perfecta in omnibus elementis, quorum defectus venenositatis causa est. Aut enim ignis, aut aqua, aut frigus, aut siccitas deficit. Testantur id aquæ fortes, quæ mineralium humidi sunt Spiritus, deficítque iis Anima & Corpus, quibus satia-

ſatiatæ,vim corroſiuam amittunt.Spiritus aëri & aquæ adſimilãtur, tametſi ſine igne non conſtant, neq; enim aër eſt ſine igne & aqua: ac ignis abſque aëre mortuus eſt. Qua de cauſa tria elementa exiſtunt in aquis fortibus, at aër & aqua prædominantur. Probatur id ex ſale. Vbicunque enim illud ſoluitur, etiam aqua principatum gerit: & in quibus aër, aut aër & aqua ſimul præſunt, in iis inuenitur acris penetránſque ſapor, vt in aceto. Sed ſi ignis & aër prȩualeant, ſapor emergit etiam acutior, feruentior, penetrabilior. Quod vbi fit, nullus ſali locus, ſicut in ſpiritu vini probè rectificato: idq; ob feruidam, quæ in eo, ſiccitatem. Itaq; quicunque Spiritus & molli & flaccido ſapore ſunt, & ſal imbibunt, aquã dominam habent: acres verò, & ſal ſoluentes, aërem & aquam: feculenti autem & penetrabiles: nec ſal admittẽtes, ignem & aërem. Ex his propriis natura & poteſtas Spirituum, cauſáq; imperfectionis eorum innoteſcit. Verùm cùm Q.E. omnibus elementis ex quo ſcateat, etiam Spiritus & Cor-

pora ſuis numeris abſoluit, quibuſcũque tandẽ vitiis laborent, modò cum ipſis vniatur. Quod autem hac proprietate caret, procul à Quintâ Eſſentiâ abeſt Sed coadunitio horribile ſecretum eſt, eóque paucis cognitum. Donum DEI eſt. Itaque non decet me id clariùs ſcribere, ſolummodò contentum illud exemplo IESV CHRISTI demonſtraſſe, qui inter DEVM & nos Mediator, ſuâ in hominem transformatione nos cum DEO vniuit in ſempiternam & immortalem perfectionem. O abſoluta Sapientia! quàm incomprehenſibilia tua miracula, & conſolationis plenæ tuæ figuræ, quas in omnibus in teſtimonium vitę æternæ, Verbíque tui venerationem nobis, quaſi digito, oſtendis.

CAPVT III.

Quomodo perficiatur glorificatio corporum philoſophica : quid propriè ſit Quinta Eſſentia.

SAtis jam ſupérque virtutem & proprietatem Quintæ Eſſentiæ enarrauimus,

uimus, ſimúlq; naturam ac defectum Spirituum, etiã cauſam imperfectionis Corporum; tum quomodo hæc vniantur, & acquirant poteſtatem alia porrò perficiendi. Mortuo enim & poſteà defecato Corpore, rurſúſq; vnito cum Spiritu & Anima puris, Spiritus vtrumq; ſurſum rapit, ita vt paulatim hæc omnia æquipolleant. Anima & Corpus naturam Spiritus, ille viciſſim Corporis & Animæ conſequitur. Quo facto ſic copulantur, vt nulla vnquam via ſeparationẽ admittant. Spiritus facilè figitur, id eſt, in naturam Corporis abit: nam corporeum ſpiritualitatem induit, ſpirituale verò corporeitatem. Vnde jure Corpus glorificatũ appellatur, quia quelibet imperfecta corpora, in quæ infunditur & penetrat, perficit. Etenim hoc vnum eſt ex maximis arcanis quæ miſericors ille Deus nobis hîc patefecit in ſalutis noſtræ confirmationem, & gloriam abſolutiſſimi amoris in nos per Filium ſuum Ieſum Chriſtum collati. Quis non obſtupeſcat, cùm mortem & reſurrectionem in omnibus

deprehendat? O infinita Sapientia! quis te satis dignis laudibus euehat?

Nunc ad praxin transimus, quamuis eam suprà leui brachio perstrinximus. Philosophi non semper de eadẽ re loquuti fuerunt, quando Quintæ Essentiæ mentionẽ fecêre: Non: Multi enim fugacem illum Spiritum, qui in omnibus reperitur, hoc nomine appellarunt, simulac eum ex Elementis separârant. Plerique etiam philosophicè alienum indigetant: quin nisi hic Spiritus abigatur, nihil occidit aut in elementa reducitur; namque est, vt Philosophi adferunt, adstrigmentum eorum, & creatorum vita: At non talis Quinta Essentia, quæ omnibus morbis medetur, ferè similis est virtute illis, ex quibus extracta, excepto, quòd semper sit Mercurialis. Etenim Spiritus hic è stipticis sistit fluxum, ex papauere somnum prouocat: atque ita de cæteris judicandum. Sed à nonnullis Quinta Essentia dicitur, & Elementorum vita; Cùm, quia cuncta, hoc Spiritu (qui quiddam est suprà Elementa) priuata, mortua sunt:

'um etiam, quòd quatuor Elementa
ediuiua & indiuiduè in eo habitent.
ed subinde ignis, aër & aqua, subin-
e ignis & aër præualent, atque terra
i intimo sinu latet; quæ si industriâ
ujusquam ad actum perueniat, déq;
umiditate aquæ triumphet, sic vt
gnis & Terra foràs simul in conspe-
tum prodeant, in veram Quintam
ssentiam transit, omnésque debilita-
es tollit. Initiò enim Aqua dominata
t in exterioribus. Etsi autem aliqui
piritus sicci videantur primâ fronte,
i principio tamen Aqua fuerunt, e-
mentorúmque motu mutati sunt.
'æterùm arte etiam nobis induenda
t Aqua virtute aëris, humórq; trans-
rendus in Crystallum, siccum, vola-
le, pellucidum. Deinceps Aër melior
ddendus efficaciâ terræ, hæc vicis-
n absoluto calore & potestate ignis
ornanda. Atque hoc modo materia
nnibus elementorum viribus mul-
plicanda est, & supra eam esse debet,
morbos eorum fugatura sit.

CAPVT IV.

Ampliùs declaratur quid sit Quinta Essentia: & indicatur signum perfe- ctionis eius, si nempe sit rubra instar rubini.

REuelabitur hîc secretum à Philosophis præ reliquis reconditum. Efficacia enim hujus spiritus (quod sciam) antè hac à nemine tradita; & rectè illum ignem vtrámq; rerum dixeris aut Mercurium Philosophorũ, siue humidum radicale, re ipsâ ignis, hoc est, elementorum vitæ domiciliũ. Quæcunque perficere sustinemus, ad hanc formam reducenda. Nec obstat, quòd hic spiritus in omnibus elemẽtis, plus, minus habitet: nam elemẽta, à Deo semel coniuncta (testantibus id vno ore Philosophis) in totum disparari nequeunt, semper aliquatenus permixta manent. Humidum autem hoc radicale, ita elementis adhæret, atq; adeò exsiccatum ẽst, vt nihil sinceri absque additione humoris ex eo fiat. Est enim illorum odor, sapor, color: Et quò magis excoquuntur, eò magis

magis odorem, saporem & humiditatem amittunt. Hic verò spiritus, quò plus philosophicè coquitur, hoc plus humiditatis, in eo superfluæ, exarescit, & melior, meliórque euadit, quandoquidem perfectioni appropinquat. Ideóque apud Philosophos ante alia sicca elementa tantis laudibus extollitur. Verùm si rectè eũ nominemus, nihil est nisi Aqua elemẽtalis, ignem, aërem & terram occultè continens. Ignis in aëre, aër & terra in aqua resident. Calor ignis terræ frigiditatem superat, humiditatémque viuam & liquefactam conseruat, ita vt nullum frigus illam congelet; quod patet in spiritu vini. Iam humor aquæ impedit quò minus siccitate ignis & aëris inarescat: & sic deinceps. Nam & omnia Elementa in naturam & formam hujus Spiritus mutantur. Liquet ergo elementa illi perfectè inesse, sed in aqua cohabitant, quam philosophi, vt suprà, deuincunt vita elementorum, hoc est igne, atque ita Igne philosophico adjuuant, vt reliqua omnia superet. Tunc autem est absolutè pura

Quinta Essentia, rubra instar rubini, immutabilis atque incombustibilis. Itaque perscrutate Naturam, docebit te nosse DEVM, creatorem nostrum, bonitatémque ejus & potentiam ostendet, magis quàm quisquam in terra. Vnde Opt. Max sit laus in secula seculorum, Amen.

CAPVT V.

Duo modi parandi Quintam Essentiam ex Auro.

Fiat aqua fortis ex vitriolo & sale nitro, in eam immitte tantum salis communis præparati, quantum capit. Deinde auro foliato saturetur, donec tres quatuórve dies in tepore retenta, nihil ampliùs combibat, sed in fundo aliquid non solutum, aut in calces redactum, relinquat. Postea bene rectificatam vini Q. Essentiam vulgarem affunde. Impone fornaci calenti, & auri Q.E. siue tinctura, cum spiritu vini, flegmate liberato, supernatabit, rubra instar sanguinis. Iam defiltra; affusionem itera, dum rectifi-

cata aqua nullam ampliùs tincturam educat. Tum colorem ſicca, & ſoluendo coagulandóque ablue aqua munda, donec aquę fortis acrimonia euaneſcat. Dehinc iuſta proportione hauriatur à ſpiritu, cui ne gutta quidem aqueę humiditatis: putreſiat philoſophicè, ita vt ambo aſcendant, atque habebis Q. Eſſentiam auri, beneficio ſpiritus vini, ad miraculum vſque omnes morbos ſanantem, prædítámque quibuſcunque antè dictis proprietatibus. Tinctura enim Animam, ſpiritus vini, Corpus & ſpiritum repræſentat: nec vllis vnquam mediis diuelli poſſunt. Ergo ſic eſt perfecta quinta eſſentia. Atqui ſine Spiritu non eſſet Quinta Eſſentia, & vel minima eius doſis hominem necaret: vt in præcedentibus dictum. Sed ſi ſublimando tincturã auri, tranſitum illi ad Corpus facias, dein rubifices, & in aqua communi ſoluas, inuenies veram Q. E. abſque additione. *Aut etiam compendioſius fit*, ſi nimirũ corpori auri, euaporatione ab aqua forti liberato, ſal abluas, mox reuer-

beres, ſicut & ſpiritum, ſiue tincturam, donec in aqua communi ſoluantur, túmque ſimul figas. Atque hæc eſt perfectiſſima & ſubtiliſſima via.

CAPVT VI.

Duo modi parandi Q. E. ex metallis & mineralibus.

SOlue metallũ aut minerale tuum, ſine iactura aliquorum ſpirituum, in aceto diſtillato: lentè coaguletur in loco tepido, vel diſtilla, donec cuticulam ſuperinduat, aut tanquam oleum incraſſeſcat. Pòſt deinde in ſubfrigida cella in cryſtallum redeat: euapora humiditatem, rurſúſque cryſtallum fiat, dum tandem omnis humor ſit concretus. Iam exſicca lapillos in hypocauſto, ac denuò ſolue & cryſtalliniza, vt mundiorem habeas naturam; quò peracto digeratur ad nigredinem. Cum ſpiritu rectificato tincturam educ, ſcitéque defeca; iterum digeratur quouſque ſimul aſcendant: Et erit tibi Q. E. metallorum & mineralium, valens aduerſus quodcunque vitium. *Aut etiam* corpus mundare;

mundare licet, puróque spiritu figere quemadmodum de auro dictum est.

CAPVT VII.

Duo modi parandi Q. E. ex vegetabilibus.

EX omnibus, grato odore præditis herbis, spiritum distillabis, eúmque aquositate exues. Subtiles autem spiritus præcedent, & sicuti vini spiritus, non guttatim, sed radiolis quampluribus in galeam decidēt: qui cùm cessant, stillæ quædam, aut nubeculæ aqueæ sequuntur, & indicio sunt spiritum transiisse. Itaque deme receptaculum, & è fecibus aut materia, in fundo cucurbitę residua, tincturam extrahe, & soluendo coagulandóque perpuram redde: dehinc spiritum ea in tantum reple, vt nihil am-plius capiat: ascendant, descendant, donec simul transuolent. Id vbi factū, habes perfectam Quintam Essentiam. Sed si inodoratę fuerint herbæ, solues eas in aqua distillata, aut distillando siccas facies, suámque ipsarum aquam affundes, addendo tantum aquę com-

munis distillatæ, quantum satis videbitur. Tum soluendo, coagulando, à fecibus liberabis; postea in rectificata tua aqua, iusta proportione solve; & vt coniunctim sursum tendendo in aquam rubeam, instar sanguinis, abeant, curabis. Et si fortè plus soluere cupiant, saturabis tua tinctura, vt antè. *Poteris etiam* corpus figere.

Capvt VIII.

Modus parandi Q. E. ex animalibus.

Sine bulliat caro in cucurbitula, cuius orificio leuigata scandula quadret. Tres dies naturales subsidat, munda per filtrum, & in balneo coagula; hinc purifica claro oui albumine, & procede, vt in vegetabili. Habes iam, amice Lector, varios absolutæ Medicinæ, siue Quintæ Essentiæ efficiendæ modos. Spero, planè & plenè capies, si attentè legas. Multa hîc arcana leuiter tango, sed hoc tantùm, ne mali & peruersi homines iis, in contemtum Dei, abutantur. Vale, & Naturæ motum inuestiga.

COR-



CORNELII DREBELII BELGÆ,

EPISTOLA

AD

Sapientiſſimum Britanniæ Monarcham IACOBVM,

DE

PERPETVI MOBILIS INVENTIONE.



PERCEPTA ex inquiſitione naturæ elementorum voluptas, SERENISSIME REX, ſola me impulit vt ad Maieſtatem tuam ſcriberem. Multa enim & amœna & incredibilia, admiranda vidi, ad cognoſcendum Deum ex operibus ſuis perquàm vtilia. Annon hæc omnia omnipotente & diuina ſapiētia in gloriā ſuam, & vſum noſtrum condidit? Nam quid nos magis moueat ad creatorem noſtrū cognoſcendum, amandum, colendum, quàm vera

illa rerum scientia? in quibus quasi digito suam prudentiam, bonitatem & potentiam demonstrat? Gratiam debemus pro sacris literis quàm maximam, eæque summo in honore semper habendæ. Sed vix minorem pro eo, quod diuina illa natura tanquam ipse Deus, sine fide ostendit. Discimus enim ex multiplici & diuersâ rerum naturâ, simplicitatem Dei; eámque variis modis laudare. Quare nisi intelligamus quod videmus, audimus, sentimus, quomodo Deum cognoscemus, amabimus aut colemus, quē neque videmus, neque audimus, nisi verâ rerum cognitione. Vnde concludimus, Optimi Maximi voluntatem esse, atque è re nostrâ, quid sit natura rerum percipere, vt tam Deum nostrum, quàm nosmetipsos discamus nosse.

Quocirca, ô Rex, cùm ante aliquot annos proposuissem causas rerum diligentér perscrutari, vt dona in nos diuinitus collata rectè cognosceremus, descendi in humanam naturam, vbi in me idipsum inueni, quod olim in aliis vituperaueram aut probaueram. Inspectis autem & cognitis stultâ & inexercitatâ nostrâ voluntate, cæco & spontaneo errore, lætâ & mœstâ vitâ atque tristi morte, animaduerti dissidentis voluntatis, iudicij, commercij hominum, causam esse solâ animi ruditaté siue inscitiam. Sed perspiciens virtuté diuinorum donorũ, quæ nobis Creator noster largitus est; & qui Deus, vt pater naturæ, in omnibus suis actis naturali sapientiâ vtitur, ingenti gau-

dio

dio mihi animus affectus est. Quapropter institui primi mobilis indagare naturam: illud esse existimās principium operum Dei, eóque introitum ad veram naturę cognitionem patere. At quamuis diu hic maximâ diligentiâ vsus sum, nihil tamen omninò huic scientiæ idoneum reperi. Itaque dulcem huius inuentionis spem amisi. Nempe omnium rerum natura impossibilitaté propositi mei clamabat. Deinde vero considerans quomodo omnia ex elementis fiant, nutriantur & sustententur, quomodóque ex iis nobis ostendatur æternitas & immortalitas Dei, infinita altitudo & profunditas, læta lux & tristes tenebræ, cæteráque huius terrarum orbis miracula, operæ pretium me facturum putaui, si eorum naturam inuestigarem, in quo negotio tempus haud inutiliter triui. Breui enim animaduerti hanc esse ianuam ad veram rerum intelligētiam.

Idcirco singulari diligentiâ aquam primò aggressus sum, eo animo; vt per varia vascula & fistulas, miris modis inflexas, illam docerem suâ sponte sursum tendere. Sed frustra hic quoque fui. Nam ne vnguem quidem latum ascendebat; verùm vt natura eius est, semper deorsum ferebatur. Nihilominus tamen diuersos & egregios fonticulos feci, qui aliis atque aliis modis, ratione descensus suæ aquæ, quam continebant, radiolos aqueos ad tempus eiaculabantur in altitudinem viginti, aut etiam plurium pedum. At hic motus subitò, nisi rursus cadentibus vndis viuificaretur, euanescebat. Quā-

obrem mellea, quam conceperam, iterum me spes reliquit: eóque inductus sum, vt plenissimè crederem, causam primi mobilis homini omninò imperscrutabilem. Postea verò solerti indagine quærés abditam illam causam, quæ aquam semper deorsum vrgeret, tandem eam deprehendi in obseruatione admirandæ ignis naturæ. Quare, serenissime Rex, non parum lætabar, quippe tum demum assequebar quid me eousque in errorem impulisset, quæ causa esset primi mobilis, quomodo cælum, stellæ, planetæ, aqua, terra, mouerentur: & quâ ratione terra in medio aëris portaretur, aqua instar circuli terram ambiret, atque omnia centrum peterent, excepto igne. Et contrà quomodo sol, luna, cunctáque sydera in cælis penderent, sicut etiam originem pluuiarum, ventorum, tonitruum, fulminis, fluxus, refluxus, denique quo pacto singula alantur & alterentur.

Nisi hæc, O Rex, tam viuis instrumentis, quàm argumentis demonstrare possem, nũquam tantum de iis scripsissem. Neque enim ignoro omnibus ingeniis, etiam acutissimis, incredibile videri hæc mysteria industriâ nostrâ comprehendi posse. Ergò vt certum faciam me cognitam habere primi mobilis causam, possum construere globum perpetuò secundùm cursum ætheris singulis viginti quatuor horis semel circum rotatilem, aut toties ampliùs, quoties mihi visum fuerit. Ita vt vel mille annis ne semel fallat, ostendentem nobis annos, menses,

dies,

dies, horas, curſum ſolis, lunæ, omnium planetarum & ſtellarum, quarum motus hominibus notus: ſicut etiam varij generis inſtrumenta, quæ certo tempore, aut etiam continuum concentum harmonicum edãt, in ſumma quicquid fieri poteſt pondere, circumuoluto chalybe, aquâ fluente & igne, præſtat hæc cognitio in perpetuum, ſed ſoli ſumptus reddunt minùs fructuoſam, ſi magna vis requiratur. Cæterùm vt magis confirmem me intelligere cauſam motus rerum ſurſum & deorſum, & quid terram & aquam in medio aëris portet, ita in vitro clauſo terram in medio aquæ, aquam in medio aëris, atque aërem in medio ignis ſuſpendo, vt vnum elemẽtum aliud ambiat velut circulus alius, alium: aut è diuerſo ſtatuo aërem in medio aquæ inſtar globi, & aquam in medio terræ, ita inuicem ſe amplectentes, vt aër hunc terrarum orbem. Atque hoc modo altum humile, humile altum, leue graue, graue leue facio. Præterea aquam ſtantem ſurſum impello in altitudinem decem, viginti, aut plurium pedum. Et quoniam cauſam venti compertam habeo, conſtruo machinas vehementer flantes. Atque cognitione fluxus & refluxus efficio inſtrumẽtum ſemper fluens & refluens ſingulis 24. horis bis: oſtendens menſes eorúmque dies, curſum lunæ & horas, fluxus & refluxus in perpetuum. Quemadmodum Maieſtas tua ex præſenti hoc inſtrumento videre, & quando lubet veritatem mei ſcripti examinare poteſt. Illud eſt propago vel ſurculus arboris

perpetui mobilis, insitus veræ cognitioni elementorum, scopus rerum indagatoribus seruiturus ad sempiternam memoriam, vt intelligant naturæ mirabilitatē, & quid eius dono possimus. Paratus sum etiam reliquas demonstrationes ostendere, sperans me eo facto gratam dulcedinem, quæ ex abditis rerum causis percipitur, multis præbiturum. Experientia enim me docet, nullam voluptatem veræ naturæ cognitioni æquiparādam, quoniam mōstrat nobis perfectam Dei bonitatem, sapientiam, potentiam. Multi ante me admiranda iactitarunt, probationem proponentes inauditis vocabulis, & absurdis processibus. Non inscij credo, si nudâ ratione rem gererent, omnes notam habituros eorum dementiam, & sic amissum iri magni nominis famam. Quamobrem ego non modo rationibus & exemplis vtar, verùm etiam exempla ad veritatem examinabo. Et primò narrabo causam ignis, deinde naturam eius & operationē: postea proprietatem cæterorum elementorum: & porrò quid sit frigus, quæ sit causa primi mobilis, quæ sit causa solis, quomodo moueantur cœlum, stellæ, luna, mare & terra, denique quæ sit causa fluxus & refluxus, tonitruum, fulguris, pluuiarum, venti, & quo pacto cuncta crescant & multiplicentur, aliis hoc modo viam commonstraturus, quam ego post diuersos errores inueni, vt paruo negotio mirabiliora in lucem proferant. Nam (Deum testor) neque veterum scriptis, neque cuiusquā auxilio hîc vsus sum,

sed

ſed ſolummodo hæc reperi aſſiduâ obſeruatione & perſcrutatione elemẽtorum. Neque etiam teſtimonia habemus priſcos homines hanc ſcientiam conſequutos fuiſſe, licet multi eam quæſiuerint. Scribunt Archimedem globum conſtruxiſſe, qui perpetuo ſecundùm curſum ætheris ſeſe moueret, ſed eundem, vnà cum auctore, vno die deteſtabili bello abſumptum; vnde & veritatis indicium perditum. Exſtant nonnulli proceſſus de perpetuo mobili, ſed meræ nugæ, quæ multos ſeducunt, nullos in optatum portum dirigunt. Si proceſſus veri eſſent, veteres illud compoſuiſſent, & nobis memoriam eius quantulamcũque reliquiſſent. Quapropter omnes huius artis amatores admonebo, & meliorem viam monſtrabo: obſecrans Deum vt cunctos Reges, principes & Magiſtratus clementi ſapientiâ illuminet, quo omnes homines, sereniſſime Rex, vt nos tui ſubditi, aureâ diuinæ pacis dulcedine fruantur: cuius beneficium (maximum à ſapientiſſimo Rege optandum) maieſtate tuâ poſſidens, neſcio quam gratitudinem rependam, præſertim cùm reputo pleroſque reges cæcâ cupidine ſeduci, quærentes ſanguinolento Marte regni incremẽta, neque cogitantes quàm impoſſibile hæc ſit adipiſci ſine maiore detrimẽto, & deſtructione fidelium ſubiectorum, qui ob id de bonis, vitâ, ſanguine, periclitantur. Quis aliquo ingenio prædicus vitam ſuam perituris bonis comparet? Vnde ſatis intelligimus fructus abominandi belli, & ſapiẽtiam

paci addictorum regum: qui bonis legibus maleficia auertere, malum iustè punire student, animo voluentes iustitiæ non esse pœnam crimine grauiorem iniungere, sed potiùs leni misericordiâ leuiorem reddere, vt omnes regentium pergratos fructus, degustent; & loco furiosi Mauortis sese recreent amœnâ artium voluptate, in quem finem hunc meum laborem ad introductionem incepi. Sed quia neque Latinè, neque Anglice mẽtem meam satis exprimere possum, hæc Belgicè scripsi & in Romanam linguam verbotenus transferri curaui, vt & integer sensus Maiestati tuæ seruetur, & naturæ mirabilitas interdum delectet. Spero illam hanc meam affectionem clementissimo animo recepturam, diúque incolumem & pacificè, sub protectione omnipotentis dexteræ victuram.